

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
UNDECIMA,
DE
FIDE CORDIS
ET
CONFESSIONE ORIS,

Ad locum Rom. X, 10.

Quam
Auxiliante DEO Triuno

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Maximè Reverendi, Amplissimi
atq; Excellentissimi DOMINI*

BERNHARDI WAGNERI,

SS. Th. D. & P. P. Ordin. ac Senioris, Convent.
Eccles. PRÆSIDIS Magnifici, Capitulique Thom. Ca-
nonici Meritissimi,

*DN. Patroni, Præceptoris atque Promotoris
sui ad dies vita pie & demisse colendi,
defendere conabitur*

JOH. MICHAEL LUTHER,
Argentinensis.

*Ad diem 2 Mensis Maji Anno M DCC XII.
Horis locoque solitis.*

Coll. diss. A
228, 53

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII.

Diff. A. 228 (53)

ILLUSTRI
COLLEGIO,
DOMINORUM
PRÆFECTORUM
LIBERALITATIS
SCHENCKBECHERIANÆ
VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, MAXIME
REVERENDO, CONSULTISSIMIS, EXPE-
RIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMIS.

DOMINIS SUIS GRATIOSIS

*Mæcenatibus Munificentissimis, Pa-
tronis, Optimis, Maximis, perpetuo pietatis cul-
tu colendis*

Disputationem hanc Theologicam, in sui
suorumque Studiorum ulteriorem commendatio-
nem, humili atque grata mente

consecrat
Humillimus Cultor
RESPONDENS.



DISPUTATIO XI.

§ I.



Manebimus etiam aliquid de reliquis duobus locis ex Capite III. v. 6. & 14. Epistolæ ad Hebræos à Bellarmino productis, quando, nempe, Apostolus inquit: *Quæ domus sumus nos, si τὴν παρρησίαν fiduciam, & gloriam spei usque in finem firmam retineamus.* Et paulo post in eandem sententiam dicit: *participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ (ὑποστάσεως) ejus usque in finem firmum retineamus:* Nam illa quoque à nostris eum in finem allegari solent, ut ostendant, fidem esse fiduciam. Et quidem in priori observant, per *fiduciam*, quam Græce παρρησίαν appellat Apostolus, ipsam fidem intelligi, & cum illa spem conjungi, sive, gloriam spei, ut Apostolus loquitur (quia nempe filii DEI in hac spe de futura gloria gloriantur Rom. V. 2.) statuuntque sensum loci esse hunc: Nos, fideles, sumus & manebimus spiritualis domus Dei, si fiduciam, id est, fidem nostram in Deum, & spem per omnes tribulationes de futura gloria gloriantem, usque in finem firmam retineamus. In posteriori autem loco, per *initium substantiæ*, quam Græce Apostolus appellat τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως, etiam fidem intelligunt, sentiuntque, hanc ὑπόστασιν, *substantiam*, explicandam esse per ipsam illam παρρησίαν, *fiduciam*, cujus in præcedentibus verbis mentionem fecit Apostolus, eamque utrobique usque in finem firmam retinendam præcepit, ita ut sensus loci hic sit: participes enim facti sumus Christi, & in sancta hac societate ejus permanebimus, si quidem fidem illam inchoatam, per quam ei conjuncti sumus, usque in finem firmam retineamus. Et hæc quidem nostra est sententia. Videamus quid Bellarminus contra eam excipiat. In Epistola vero, inquit, ad Hebræos, in ipso initio Capitis primi, ubi legimus: *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ ejus. Græce,*

Bb

χαρακτῆρ

*χαρκτηρ ὑποστάσεως, non significat vocabulum hoc expectationem, sed substantiam, est enim filius perfecta imago substantia Patris, id est, subsistentis personae paterna. Qua notione utuntur hac voce passim Theologi tum veteres, tum recentiores. Capite autem tertio, initium substantiae Christi, non significat initium fiducia, sed initium novae creaturae, quod initium est fides &c. Ut ex his & sequentibus verbis apparet, directa est haec exceptio ad posteriorem locum, & phrasin: *initium substantiae*: per quam Bellarminus quidem non negat fidem intelligi: sed tamen negat, fidem illam esse fiduciam & expectationem: negativam vero suam probare conatur ex collatione Capitis I. Epistolae ad Hebraeos, in quo vocabulum, ὑπόστασις, substantia, etiam non denotet expectationem, sive, fiduciam. Sed ad hanc exceptionem nos respondemus, allegationem loci ex Capite I. esse prorsus incongruam, & consequentiam quam inde nectit adversarius esse nullam: incongrua est allegatio loci Capitis I. ad explicandum locum Cap. III. quia vox ὑπόστασις, de rebus plane diversis, & sensu plane diverso, ab Apostolo in utroque isto loco accipitur: in Capite primo enim, quando Filius dicitur splendor & imago, ὑποστάσεως, substantiae Patris, vox ὑπόστασις, substantia, de Deo accipitur, & personam Divinam denotat: in Capite vero III. non de Deo, sed de homine, neque de persona humana, sed de fide quae in homine est & ab eo ad finem usque firma retineri debet, usurpatur: incongruum itaque est Deum cum homine, & ὑπόστασιν quae in Deo, cum ὑποστάσει quae in homine est confundere, & ab una ὑποστάσει ad alteram, tanquam à pari argumentari. Nulla itaque consequentia est: vox ὑπόστασις, substantia, in Capite I. ubi de Deo accipitur, non denotat expectationem, sive, fiduciam, ergo nec in Cap. III. ubi de homine accipitur. Eodem modo, id est, incongrue quis argumentaretur: Vox ὑπόστασις, substantia, in Cap. I. Ep. ad Hebr. non denotat fidem hominis, Ergo, nec in C. III. imo nec in Cap. XI. quae consequentia manifeste absurda est, ipsique Bellarmino adversatur, quippe qui agnoscit, per *initium substantiae*, in Capite III. fidem intelligi: quod uti recte agnovit, ita male probavit, fidem il-*

lam

lam non esse fiduciam : quod tamen ex collatione versiculi 6. ejusdem Capitis III. facile videre potuisset, in quo, ut antea diximus, Apostolus fidem *παρρησίαν* appellavit, quam Vulgatus Interpres *fiduciam* vertit, uti non tantum collatio locorum docet, sed Græci quoque & Latini Patres testantur: ex illis enim Chrysostomus, verba Capitis III. v. 6. *Cujus domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*: de fidei certitudine & spei stabilitate exponit: Deinde, inquit, eos quoque laudat, dicens: *si fiduciam & gloriationem spei usque ad finem firmam retineamus*: ostendens quod cœperunt. *Fine autem est opus, & non solum oportet stare, sed etiam firmam & stabilem habere spem, in certitudine fidei minime labefactatos à tentationibus.* Sedulius vero, qui ex Latinis Patribus annotata sua collegit, paucis quidem verbis, pleno tamen nobiscum consensu, *per fiduciam*, inquit, *fides intelligitur.*

§. II. Superest ultima Bellarmini contra nostrum argumentum ex Hebr. XI. 1. petitum exceptio, quam sequentem in modum proponit. *Addo postremo, non posse adversarios ex definitione fidei, qua habetur ad Hebr. II. errorem suum constabilire, quamvis eis concederemus, nomine ὑποσάσεως intelligi expectationem, sive, fiduciam.* Nam illud (*rerum sperandarum*) proprie refertur ad vitam æternam, & corporis resurrectionem. &c. *Expectatio autem vite æternæ non est fides justificans, etiam secundum doctrinam adversariorum, qui fidem justificantem definiunt fiduciam misericordie, qua in presentia peccata remittuntur, aut remissa sunt, & per quam justi reputamur à Deo.* Verùm hæc exceptio ex mero errore nata est, quo præpeditus Bellarminus nec doctrinam nostram, nec fidei naturam recte consideravit. In memoriâ sibi revocare debuisset ex B. Augustino, fidem esse omnium temporum, præteritarum rerum, præsentium & futurarum. Credimus mortuum Christum, quod jam præteriit; credimus sedere ad dextram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad judicandum, quod futurum est. Scire etiam debuisset, secundum nostram doctrinam, fiduciam & expectationem vitæ æternæ pertinere ad fidem justificantem; docemus enim

fidem justificantem apprehendere promissionem gratiæ in Christo Jesu nobis factam, qui sua passione & resurrectione non tantum remissionem peccatorum, in præsentem, sed etiam cœlestem hæreditatem infutura vita nobis promeruit: & hoc docemus cum scriptura S. quæ passim testatur, nos per fidem, & remissionem peccatorum, & ipsam quoque salutem accipere, Actõrum enim X. Cap. v. 43. *Huic Jesu Christo, inquit. S. Petrus, omnes Propheta testimonium perhibent, peccatorum remissionem accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Et Cap. XV, 11. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari quemadmodum & illi; Patres scilicet in Veteri Testamento.* Quæ cum ita se habeant, constat omnino, errasse Bellarminum, quando scripsit: *Expectatio autem vite æternæ non est fides justificans, etiam secundum doctrinam adversariorum.* Constat etiam, fidem illam quam nos docemus, esse ὑπόστασις substantiam rerum sperandarum & bonorum Gratiæ à Deo nobis promissorum, imprimis etiam ipsius vitæ æternæ: adeoque exacte convenire cum prædicta Apostoli descriptione Hebr. XI. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum: id est: certa fiducia, qua res sperandas & bona à Deo promissa, & in illis præcipue vitam æternam apprehendimus, eandemque nos aliquando, Dei gratia, consecuturos esse confidimus.*

§. III. Alia adhuc loca scripturæ sacræ, ex quibus nostri probant, fidem esse fiduciam, recenset Bellarminus hunc in modum: *Secunda Objectio, Apostolus ad Rom. 4. dicit Abrahamum justificatum ex fide; per fidem autem intelligit fiduciam misericordiæ. Nam explicans fidem Abrahami dicit. Qui contra spem in spem credidit; & infra: Non hesitavit diffidentia. Similia sunt illa, Marci II. Quicquid Orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Ubi (credite) accipitur pro confidite; &c. Item illud Jacobi I. Postulet autem in fide nihil hesitans. Denique huc etiam pertinet illud, 2. Paralip. 20. Credite in Domino Deo Vestro, & securi eritis.* Adhæc autem loca, primo, excipit generaliter his verbis: *Respondeo, in his omnibus locis, vocabulum fidei accipitur pro vera fide Catholica, qua credimus id omne,*

omne, quod Deus revelat, non pro fiducia, aut confidentia. Subjungit, deinde, aliqua de fide miraculosa. Denique ad singula loca exceptiones suas proponit. Nos itaque, eodem ordine servato, respondemus generaliter, primo, fidem justificantem esse quidem Catholicum & universalem assensum ad id omne, quod Deus revelat: sed non tantum: verum esse, præter assensum, fiduciam quoque & confidentiam in divina promissione: & in locis allegatis denotare quoque talem fiduciam: quod Bellarminus quidem negat, sed sine omni fundamento, quemadmodum ex consideratione eorum, quæ ad singula loca excipit, mox constabit. Quæ de fide miraculorum inserit, partim causam ejus suspectam reddunt, dum ait: *illam magnam esse debere, ut etiam gignat fiduciam quandam impetrandi quod petitur.* Etiam fides justificans magna est, & magna quoque impetrat à Deo, cur ergo fiduciam impetrandi in ipsa quoque non agnoscere vult Bellarminus? partim ad rem nil faciunt, miracula enim fieri & facta olim fuisse ad confirmandam fidem, quis est qui ignorat? de hoc certe, non est quæstio: sed de eo, num fides justificans sit fiducia? præterea confundit Bellarminus hoc loco, sicut in præcedentibus, fidem justificantem, & fidem miraculorum; quem errorem supra Disp. VII. §. IV. notavimus. Illa, denique, considerabimus, quæ ad singula loca allegata excipit & probare vult, vocabulum fidei non accipi pro fiducia: *Illud igitur, inquit, Rom. 4. Qui contra spem in spem credidit; hanc sententiam habet, credidit ob divinam promissionem, se posse sperare filium ex Sara, quem naturaliter sperare non poterat.* Sed nos regerimus: Bellarminum his verbis affectatis, vano conatu, imminuere velle emphasin dicti Apostolici: quid enim hoc sibi vult? *credidit (Abrahamus) ob divinam promissionem, se posse sperare filium ex Sara?* Imo credidit, cum firma fiducia, innixa infallibili promissioni divinæ, se ex Sara habiturum esse filium, licet res hæc supra naturam esset; quemadmodum totus verborum Apostoli contextus testatur, nam *contra spem, inquit, in spem credidit, & non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum jam emortuum. &c. In promissione etiam Dei non hesitavit diffidentia, sed conforta-*

tus est fide. Si in promissione divina non *hesitavit dissidentia*, ergo, *confidentia* in promissione divina se confirmavit atque ita *confortatus est fide.* Hoc fidei robur, hanc fidei *confidentiam* expressit quoque B. Chrysostomus in Commentario ad Genes. Cap. XV. Homil. 36. ubi verba Dei ad Abrahamum: *Non erit hic (Ismael) heres tuus, sed qui egredietur ex te, hic heres tuus erit:* sequentem in modum edisserit: *Scias igitur, quod non erit hic heres tuus, sed qui egredietur ex te, hic heres tuus erit. Ne igitur ad humanam spectes naturam: ne tuam senectam, Sarave sterilitatem cogites, sed ejus qui tibi promisit potentie bene FIDE, & tristitiam ponens, sufficientem consolationem accipe, persuadeque tibi, te heredem habiturum, qui ex te nascatur. &c.* Hoc enim vera fidei est, quando promissiones, non juxta solitum morem, & hominibus cognitum fiunt, nos promissoris virtuti *FIDIMUS.* Fides enim est, quemadmodum B. Paulus ait, eorum quae sperantur substantia, rerum quae non videntur argumentum. &c. *Discamus igitur & nos, obsecro, à Patriarcha, Dei credere dictis, & ejus promissionibus FIDERE.*

§. IV. Quae contra dictum Marci XI, 24. *Quicquid orantes petitis, credite quod accipietis, & fiet vobis:* in quo, credite, ex nostra sententia, accipitur pro, *confidite*, excepit Bellarminus, manifeste produnt malam causam, quam omni quidem conatu defendere voluisset, si potuisset, illud Marci II. inquit, *credite quia accipietis, ad fidem proprie dictam pertinet, sed intelligitur cum conditione, si bene petatis, etsi expedit vobis dari.* Supra quidem in generali responsione dixit: *in his omnibus locis vocabulum fidei accipitur &c. non pro fiducia, aut confidentia:* hoc itaque in exceptione sua probare debuisset: si autem verba illa: *sed intelligitur cum conditione, si bene petatis, & si expedit vobis dari:* rationem probandi continent asserti istius: respondemus, nos hanc conditionem acceptare, & fiduciam cum tali conditione intelligere, ut sensus loci hic sit: *Quicquid orantes petitis, credite, id est, confidite, quod accipietis, si quidem bene petatis, & si expediat vobis dari.* Bene autem petunt, qui petunt in fide, nixa divina promissione, secundum evidens S. Jacobi testimonio-

stimonium: *postulet in fide nil hesitans*: & secundum exempla Sanctorum Cap. XI. Hebr. recensita, quorum omnium preces per fidem Deo placuerunt & exaudita sunt. Promissio autem divina alia quidem promittit bonum spirituale ad aeternam salutem necessarium, e. gr. remissionem peccatorum, justitiam &c. alia vero bonum temporale, e. gr. corporis sanitatem: illud promittit credentibus simpliciter, & sine alia conditione, quam fidei, & quoniam credentibus expedit dari bonum spirituale, e. g. peccatorum remissionem & justitiam, ideo is qui in fide iustificante petit bonum spirituale, confidere debet, quod accipiat. Bonum vero temporale promittit Deus credentibus non simpliciter, sed sub conditione, si expedit ipsis, fieri enim potest, ut bonum aliquod temporale, si hoc tempore detur, credenti non expediat: ideo credens qui orat, habet quidem fiduciam exauditionis, confidit etiam se accepturum esse bonum promissum, si quidem ei expediat: imo ea est in Deum fiducia, ut credat & confidat, eum id non esse daturum, si sciat quod non expediat. Hinc sane, evidens est, quod in dicto Marci XI. 24. *Quicquid orantes petitis, credite quod accipietis*: admittitur etiam Bellarmini exceptione, de conditione annectenda, *sed credite*, idem sit, ac *confidite*.

§. V. Ad Jacobi dictum etiam aliquid excepit, *illud Jacobi I. inquit, postulet in fide nihil hesitans, excludit dubitationem fidei contrariam. Vult enim Deus, omnipotentiam suam sine ulla dubitatione credi; nam ideo Dominus Matth. 9. petebat à cæcis: Creditis quia hoc possum facere vobis &c. Nec tamen esse absurdum, aut contra sententiam nostram, si quis diceret, loqui Jacobum de fide, quæ gignit fiduciam, ac per hoc non solum incredulitatem, sed etiam diffidentiam excludere. Torquet se Bellarminus in hoc discursu ne cogatur fateri diffidentiam, de qua Jacobus loquitur, includere fiduciam: agnoscit tamen: illam excludere dubitationem fidei contrariam & diffidentiam: Nos acceptamus hanc confessionem, & pro nostra doctrina contra Bellarminum concludimus: si fides in dicto Jacobi excludit diffidentiam, tanquam sibi contrariam, ergo includit confidentiam. Qui enim non debet habere*
diffi-

diffidentiam, utpote fidei contrariam, ille hoc ipso debet habere confidentiam, sive, fiduciam. Vult etiam Deus omnipotentiam suam sine ulla dubitatione credi; sed non tantum generali assensu, quo credimus, imo ipsi diaboli credunt Deum esse omnipotentem: sed etiam cum fiducia & applicatione speciali, atque ita, ut credamus, Deum pro sua omnipotentia, ea quæ promisit, etiam nobis esse præstiturum, cum qua fiducia Abrahamus credidit: & quam fiduciam applicantem Christus ipse Matth. 9. à cæcis requisivit, *creditis*, inquit, *quod hoc possum facere vobis*, vobis. Quando denique Bellarminus ait; *nec tamen esset absurdum, aut contra nostram sententiam, si quis diceret, loqui Jacobum de fide quæ gignit fiduciam*: ludit termino ambiguo, *gignit*, vel enim intelligit, fidem gignere fiduciam, tanquam effectum à se realiter diversum: vel intelligit hoc formaliter, ita ut fides gignat fiduciam, quia ipsa fiduciam includit: prius falsum, posterius vero dicendum esse, ex modo dictis constat.

§. VI. Ad locum ultimum in secunda objectione allegatum sic excipit Bellarminus: *Illud denique 2. Paralip. 20. Credite in Dominum Deum vestrum, & securi eritis: de fide proprie dicta intelligitur, fideles enim suos Deus protegit, & custodit. Id vero ex sequentibus verbis manifeste colligitur. Sequitur enim: Credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera. Ubi non significat scriptura, fiduciam esse ponendam in Prophetis, sed fidem habendam verbis eorum. Neque credibile est, intra duas lineas scripturam accepisse Verbum (credendi) nunc pro fiducia, nunc pro fide. Semper igitur accepit pro fide.* Putat itaque Bellarminus, scripturam vocabulum, *credite*, in utraque illa propositione: *Credite in Dominum Deum Vestrum*: &: *Credite Prophetis ejus*: non accipere pro fiducia; sed, ut ipse ex præconcepta sua hypothese loquitur, pro fide, id est, pro assensu tantum: ratio ejus hæc est: quoniam in posteriori propositione: *Credite Prophetis ejus*: vox, *credite*, non denotet fiduciam; unde colligit, nec eam denotare in priori propositione: *Credite in Dominum Deum vestrum*: quia non videtur ipsi credibile, intra duas lineas scripturam accepisse verbum (credendi)

dendi)

dendi) nunc pro fiducia, nunc pro fide, vel, assensu, quem ipse per fidem intellexit. Verum hæc ratiocinatio ejus nullius roboris nec ponderis est. Primo enim non esset incredibile, scripturam, in duabus distinctis propositionibus, eandem vocem accipere distincto quoque sensu: nota enim Eruditis, nec incredibile est regula illa: *talia sunt predicata, qualia permittuntur à subjectis*: hinc quoniam in prædictis duabus propositionibus subjecta sunt diversa; Deus, nempe, & Prophetæ: ideo non foret incredibile, si quis diceret: alio sensu credi in Deum: & alio sensu credi Prophetis. Vulgatus Interpres, certe, in exprimenda phrasi Hebræa, quæ in utraque propositione eadem est, diversitatem quandam in Versione Latina adhibuit, priorem enim ita transtulit: *Credite in Dominum Deum Vestrum*: posteriorem vero sic: *Credite Prophetis Ejus*: non autem: in Prophetas Ejus. Unde nos colligimus: ei non visum fuisse in credibile, sed verisimile, scripturam vocem, *credite*, intra duas ista lineas non eodem plane sensu accepisse, sed statuisse, alio sensu *credi in Deum*, & alio sensu *credi Prophetis ejus*: differre enim hæc duo inter se: credere in Deum: & credere hominibus, Prophetis, notius est quam ut explicari debeat. Hoc vero cum ita se habeat, corrui totius Bellarminianæ exceptionis fundamentum, sensusque utriusque illius propositionis hic erit: *confidite Domino DEO vestro*, est assensum præbete Prophetis Ejus.

§. VII. Si tamen per ea quæ hæcenus dicta sunt, diversa vocabuli, *credite*, expositio, cuiuspiam nondum reddi posset credibilis, & magis credibile ipsi videretur, eandem vocem eodem sensu accipiendam esse, ei quidem non repugnabimus, ita tamen ut statuamus, *quod credite*, utrobique idem esse ac *confidite*: In priori propositione: *Credite in Dominum Deum vestrum*: nulla erit difficultas, docet enim scriptura, in Deum nos ita debere credere, ut in ipso etiam confidamus. In posteriori vero propositione: *credite*, seu, *confidite, Prophetis ejus*: si cuiuspiam difficultas inesse videatur, ideo, quod fiducia in hominibus non sit collocanda, facile eidem satis fieri posset, si dicatur: fiduciam non poni in Prophetis, quatenus homines sunt, sed quatenus DEI

